



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt II. Laetitia sensusque Pontificis ad celebratae Sessionis nuntium.  
Coetus habitus postridie à Legatis, & proposita à Lotharingo ad Synodum  
absoluendam cum Patrum propensione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

*Letitia sensusque Pontificis ad celebratæ Sessionis nuntium. Cætus habitus postridie à Legatis, & proposita à Lotharingo ad Synodum absoluendam cum Patrum propensione.*

**L**aturum Sessionis nuntios eadem nocte<sup>a</sup> miserunt Legati Ioannem Baptistam Victorium, petente Lotharingo, apud quem degebat, qui iam præstò erat vt Romam pergeret, ob quoddam sibi collatum à Pontifice beneficium. Per dispositos equos ecurrit Victorius; & cum peruenisset Viterbium, cognouit Pontificem relaxandi animi gratiã se ad Centumcellas contulisse; quamquam ea relaxatio dein propè fuit vt ipsi perniciem inferret, ob palustrem illum aërem, nondum per frigora purgatum. Eò igitur nuntius iter conuertit, & de rebus gestis Pontificem certiore fecit, qui incredibili planè gaudio inde affectus est. Reseuerat prius ille à Legatis ea<sup>b</sup> quæ cum Lunensi acta fuerant de particula sæpiùs memorata, & valdè ipsi placuerat quòd illa declaratio à Synodo, non à suo diplomate procederet. Similiter eidem probabantur parata iam Decreta tum de matrimonio clandestino, tum de morum correctionibus, tametsi illa postea diebus postremis in quibusdam fuerint mutata: sed non ita sibi probabatur responsum ac propositum Legatorum, vbi Patres Hispanienses secessissent, sicuti Comes minabatur; cum sibi videretur Concilium eo casu minime deferendum ab ipsis ducibus, sed aliorum contumaciam accusandam, & in deliberationibus functionibusque audacter progrediendum. Cognito deinde prospero euentu, significauit, id per immensam & suam & Aulæ voluptatem accidisse, cunctis Decretis plurimum collaudatis, eoque successu tamquam arrhã proximi exitus accepto; ad quem exitum stimulauit præcipuos actores suauissimo, eodemque validissimo stimulo, hoc est gratijs actis per suas peculiare litteras Lunensi, Lotharingo, & Legatis. Ad Lunensem formã quãdam magis sobriã illæ scriptæ sunt<sup>c</sup>, quòd visæ gratiam æstimationemque reliquis non minuerent; cum honorum pondus ac leuitas, perinde ac mixtorum, solùm comparatè se habeant. Ad Lotharingum scripsit, professus illi acceptum referre<sup>d</sup> quidquid boni præteriti confectum fuerat, & in eo spem à se poni boni futuri; eundemque commendauit ob adhibita ab ipso studia Reipublicæ Venetæ, cum illac iter faceret. Quoniam autem

<sup>a</sup> Litteræ Legati. ad Borrom. 11. Nouembris, & responsio ad illas 18. Nouemb. 1563.

<sup>b</sup> Litteræ Borrom. ad Legatos 6. & 10. Nouembris.

<sup>c</sup> 21. Nouembris. 1563.

<sup>d</sup> 20. Nouembris. 1563.



1563. eodem tempore Lotharingus Pio commendauerat negotia Estensis Cardinalis, affinis sui, cui per eos dies adscribebatur, tamquam auctori, graue facinus, ab eius familiaribus patratum; pollicebatur Pontifex, causam per omnem reuerentiam & urbanitatem actum iri: cupere se, ne Aloysius Cardinalis reus compereretur; sed ubi quoque aliter appareret, nolle se in eo quidquam agere non communicatâ re prius cum Lotharingo, & ita solum, ut alteri prodesset medicinæ modo, quo sibi in posterum moderaretur.

<sup>e</sup> Litteræ nominatæ Borrom. ad Legatos 18. Nouembris.

Formulas, laudem amoremque abundè spirantes, cum Legatis<sup>e</sup> adhibuit ob tam graues ac tam felices labores; sed simul inflammatis cohortationibus ad magnum opus perficiendum eos stimulauit, vnde decus ac pretium erant acceptura cuncta quæ ipsi gesserant: ita tamen, ut Synodus per consuetam rationem ex se argumenta omnia expediret, nec in ipso reponeret, nisi aliquod emendationis caput, idque eo solum casu, quo ibi confici non posset.

<sup>f</sup> Ex litteris Gerij Episcopi Isclanensis ad Manriquez 14. Nouemb. 1563.

Sed Legati stimulis non indigebant, nec opportunitatem neglexere, quando Hispani Episcopi<sup>f</sup> formâ sincerâ magis quam callidâ se gerentes aduersus quàm dubitatum fuerat, quasi querimonie de præteritis adhibendæ essent ad promouenda futura, significabant liberè, non mediocrem à se acceptam satisfactionem ex euulgatis Decretis; in quibus, ac præsertim in Decreto de primis causarum delationibus, opus fuerat Legatis operâ uti plurimâ ut ipsis gratificarentur, & non modicâ solertiâ, quâ Patres, addicti Aulæ Romanæ, adducerentur ad amouendas tot exceptiones, vnde prior forma<sup>g</sup> aded Hispanis displicuerat. Ex altera parte Cæsariani nihilo segnius sollicitabant. Etenim Cæsar in cunctis Germaniæ negotijs diffcultates offendebat, ob suspiciones quibus Concilium Protestantibus obuoluerat; tametsi in hac festinatione ultra Cæsaris voluntatem progressi fuerint, sicut postea patebit. Itaque Legati, cum reliquos omnes propitios cernerent, Hispanos verò ipsorum voto non aduersantes, proximo Sessioni die ad se conuocarunt<sup>h</sup> duos Cardinales, ac viginti quinque Patres ex præcipuis cuiusuis nationis. Illis proposuerunt postulata Lotharingi pro Gallia, ut Synodus absolueretur in Sessione, nono Decembris indicta: id pariter ab Cæsareis Oratoribus peti nomine Cæsaris & Regis Romanorum, qui arbitrabantur, diuturniorem Concilij continuationem conferre non posse, quin potius nocere Germaniæ: in eadem vota venire Pontificem, ne Synodus, ad animarum salutem coacta, magnæ illorum parti per longiorem moram perniciem afferret: idem placere Veneto Senatui, ac reliquis Italiæ Principibus; idem Oratoribus

<sup>g</sup> In eadem Epistola.

<sup>h</sup> Litteræ Legat. ad Borrom. 13. Nouembris, & Iadrensis 15. Nouemb. & Acta Salmanticensis.

Lufi-



Lusitanæ ac Poloniæ, & cum his connumerari posse etiam Hispanum; qui etsi peculiaria ad id mandata à suo Principe non accepisset, ea tamen generatim habebat, ut processui & absolutioni Concilij opem ferret, & iam ita se gerebat, ut liceret Legatis quieto esse animo. Et sanè si Rex Hispaniæ Concilio fauerat, illi assistendo in gratiam Cæsaris patris sui, & Regis Galliæ vxoris fratris, ratione habitâ de illorum prouincijs; nunc vbi cognosceret idem Rex, ab utroque illius finem optari, iurè tam optimo dubitari non posse ne id ipsum comprobaret. Quamobrem à se præsentibus Patres rogari, ut consilio simul & operâ rem perficerent.

4 Hic denuò Lotharingus monuit, neque Cæsarem neque Regem Catholicum voluisse initio ipsorum causâ Concilio consentire, sed validis cohortationibus, & euidenti Galliæ necessitate commotos, quæ versabatur in discrimine secedendi, seque per propriam nationis Synodum corrumpendi, cessisse voluntati Pontificis tamquam filios obsequentes. Aegerimè retentos fuisse Clerum & Ordines Galliæ, qui Possiacum conuenerant, ne aliter sibi consisterent, donec Concilium terminaretur; & longè difficilium opus futurum eos in posterum retinere, vbi Synodus ultra protraheretur. Idem fore Synodum præcidi aut suspendi, ac propriam nationis illius cum eiusdem clade aperiri. Si longius procederet, non modò spatium temporis porrectum iri hæreticis concionatoribus ad inferendam populis prauam doctrinam tam altè, ut ad ipsam postmodum euellendam satis non essent ne ipsa quidem Concilij Decreta: sed Gallicos Præsules adactum iri ad discessum ante Synodi finem, partim dispendij grauitate, partim ob alias priuatas publicasque necessitates, quod à compluribus peractum videbatur, & breuè à cunctis peractum iri, si res ampliùs protraheretur; se verò ab utraque necessitate ad profectiorem compelli: quamquam vbi Synodus die præstituto esset absoluenda, effecturum se, ut quæcumque alia ratio cederet per eos paucos dies voto suo secum deferendi solatium illud, eaque salutaria medicamenta. Comperio, tam efficaci specie fuisse propositam à Lotharingo<sup>1</sup> Galliæ necessitatem, ut lacrymas exciuerit; vnde commune votum fuit, ut ad conclusionem procederetur. Solùm Episcopi Leridensis & Legionensis petierunt, ut antea Philippus Rex assentiretur; sed Granatensis hanc conditionem omisit. Quare Suauis duplicem in errorem impingit, prius, dum tribuit Granatensi, illum per suam sententiam se Oratori Hispano remisisse; deinde affirmans, reliquos omnes præter Granatensem consensisse.

<sup>1</sup> Acta Salminticensis.



1563. Ad agendum de modo ventum est; & inter eos conuenit, oportere operam nauari ad stabiliendas reliquas disciplinæ leges, & in ijs quæ spectabant ad Principes, suauiter procedendum, quandoquidem illorum brachio statim futurum opus erat, quo insculperentur in opere ea quæ à Synodi stylo in scripto fuerant designata. Quamobrem summoperè placuit exemplum Decreti, missum à Pontifice, in quo renouabantur super his iussa Conciliorum Canonumque antiquorum, & adhibebantur paternæ admonitiones odiosorum anathematum loco.

De dogmatibus nondum ibi definitis, spectantibus ad Purgatorium, ad Indulgentias, ad inuocationem Sanctorum, & ad Imagines, perpensum est, multa reperiri in anteaëctis Concilijs; aliquid tamen de his dicendum esse, quasi ad prauas consuetudines corrigendas. Præsertim verò de Imaginibus protulit Lotharingus Sorbonæ Decretum, quod ab illis Patribus magnoperè probatum est. Postridie habiti conuentus, Legati \* vnà cum Lotharingo statuerunt de iam ostensis dogmatibus tantummodò agendum esse, ac de ipsis per formam quam diximus. Quare accitis ad se nonnullis Patribus susceptum consilium aperuerunt, & quinque pro quolibet argumento selectis Præsulibus commiserunt vt ipsi vnà cum quinque Theologis paucos intra dies Decreta formarent. Etiam Legati de Synodo tamquam de absoluta scribebant; Lunensis enim indicabat, se moram haud iniecturum. Verùm distantia nauigij à littore, etiamsi modica demonstratur Geometræ decempedà, interdum maxima deprehenditur nautarum mensurionibus.

## C A P V T III.

*Cætus de disciplina & dogmatibus: obiecti à Lunensi obices ne Synodus absolueretur.*

\* Acta Paleotti, & Artici Æliæ, & litteræ Iacobi drensis 15. Nouembris.

**H**oc apparatu inchoati sunt die decimoquinto Nouembris cætus generales de quatuordecim articulis disciplinæ reparandæ, qui supererant. Et quemadmodum ea quæ necessaria sunt, ob naturæ prouidentiam in rebus omnibus pauca sunt, & festinandi voluntas docet ea distingui à superuacaneis; ea breuitas, prius insueta, fuit adhibita, vt die decimo octauo suam quisque sententiam protulerit. Legatus paucis exposuit studia incassum impensâ ad pertrahendos ad Concilium hæreticos, præstantissimos fructus ab eo productos declaratione dogmatum, & resti-